



Disputatio juridica inauguralis de compensationibus

<https://hdl.handle.net/1874/342822>

II

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMPENSATIONIBUS.

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiæ
Medicinæ , Anatomæ & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus

& Privilegiis ritè consequendis,

Publicæ Eruditorum censuræ exhibet

JOHANNES AMENDE, Bremensis.

Ad diem 18. Junii , horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academice
Typographi, c1o. lsc. Lxxxv.

VIRIS
Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis, Prudentissimis,
DOMINIS, DOMINIS,
CONSULIBUS,
SYNDICO &
SENATORIBUS

Florentissimæ Reipublicæ Bremen-
sium PATRIÆ PATRIBUS me-
ritissimis, vigilantissimis,

*Dominis Patronis & Fautoribus
summè colendis*

Has Theses in observantiae
monumentum

Inscribit

JOH. AMENDE.
AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
COMPENSATIONIBUS.

THESSIS I.



Riginem jus *Compensandi* ex ipsa æquitate naturali trahere, maximaque ratione & necessitate niti, tam ex §. 30. 39. *Inst. de action.* quam l. 5. & 6. C. b. t. abundè patet. Ea enim nisi admittetur, debitores sæpe damnum incurrent, atque per aliam actionem & processum suum petere debitum cogentur. Ne igitur præter necessitatem multiplicarentur processus, introducta est *Compensatio* eamque admittere recusans in dolo esse deprehenditur. Nam uti æquitas non fert aliquem petere id, quod restituturus est eidem, ita nostra etiam interest, potius non solvere, quam solutum repetere l. 3. ff. b.

A 2

II. Et

DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Et hec in jure Justinianeo sumitur vel I. *generalissime*, pro omni adæquatione & collatione, uti in societate bona communia facta conferuntur & partes lucri & damni compensantur §. 2. *Inst. de societ.* vel II. *generaliter*, quando pro deductione & retentione alius pro alio accipitur l. 18. §. 4. ff. *conmodat.* l. 96. §. 3. *in fin. de solution.* l. 39. §. 14. *de administr. tut.* l. 85. *de legat.* 2. l. 38. *de jur. dot.* l. 6. C. *de R. V.* l. 39. ff. *de pign. att.* vel III. *specialius*, pro remuneratione ministeriorum, l. 2. C. *de aliment. pupill. præst.* reparamine expensarum l. 7. C. *de post-limin. revers.* & restitutione damnorum l. 8. C. *de locat. cond.* vel IV. *specialissime*, pro mutua petitione l. 6. C. b. t. uti & in lege prima ff. b. t. & hic consideratur.

I I I.

In hac significatione definitur *Compensatio*, quod sit, debiti & crediti inter se contributio, quæ nihil aliud est, quam liberatio ab obligatione & debito per æris sui computationem, ita ut, quod alicui creditum est, id jam ipso jure ob mutuas obligations deberi desinat.

I V.

Notissima ratione debiti hujus requisita sunt, ut sit I. *verum* II. *utrinque* III. *liquidem* IV. *purum & præsens* V. *certum* & VI. *illarum rerum, que compensari possunt.*

V.

Primum igitur requisitum excludit omnia debita mere cœlia, quæ stricto quidem jure civili actionem pariunt §. 1. *Inst. de*

*de except. & seq. sed per exceptionem tamen perimi & facile inutilia fieri possunt. l. 14. ff. b. t. Ut obligatio ex negotio, metu, errore, dolo gesto d. §. 1. & seq. l. 36. de verb. oblig. l. 7. de dol. mal. except. vel ex alio nata, cui obstat exceptio pacti de non petendo l. 3. §. 1. ff. de const. pecun. Huc etiam recte referuntur debita naturalia, quæ à jure civili in totum destituuntur, ut obligatio ad *ānēs opa* l. 25. §. 11. ff. de petit. hered. ex testamento imperfecto l. 38. ff. de fideicommiss. libert. §. 1. Inst. de fideicommiss. hered. ad integra legata solvenda ab eo, qui Lege Falcidia uti potest. l. 5. §. 15. de donat. inter V. & V. pupilli infantia majoris pr. Inst. de auct. tut. filii-familias mutuam pecuniam accipientis l. 10. junctā l. 1. ad SCium Maced. Mulieris fidejubentis t. r. ad. SCium vellej. Veri debitoris absoluti l. 6. de cond. indeb. junct. §. 5. Inst. de except. At illæ obligationes naturales, quæ ex parte tantum à lege destituuntur, licet ob denegatam in foro actionem exigí nequeant, compensationi tamen locum faciunt. l. 6. ff. b. t.*

V I.

Secundò facile colligi potest, h̄c ab *utraque parte* requiri debitum, hoc est ut actor reo & reus vicissim debeat actori, & sic uterque sit verus debitor & creditor. Nemo enim cogitur compensare, quod alii, quam debitori suo debet l. 18. ff. h. t. l. 9. C. eod. Hinc non compensatur tutoris proprium debitum, tute petente, quod pupillis debetur, l. 23. ff. b. t. Nec debitor, qui alteri hæredum obligatus, vult compensare, quod ab alio debetur, est audiendus l. 16. ff. b. t.

V I I.

Tertium requisitum est, *ut debitum sit liquidum*, non controversum l. ult. C. b. Et hoc vel ex confessione debitoris, vel ex causa judicati l. 2. C. b. vel ex instrumentis jam præsentibus, vel alias quando sine altiori indagine à creditore probari potest,

A 3

satis

6 DISPUTATIO JURIDICA

satis apparet. Tempus intra quod probandum, arbitrio judicis relinquitur. Non tamen quælibet controversia rem facit illiquidam l. 8. junct. l. 15. b. t.

VIII.

Quatum vult, ut debitum sit *purum & presens*, h. e. cui nec dies nec conditio adjecta est, & quod exinde debetur statim exigi possit. Nam, quanquam id, quod in diem vel sub conditione debetur, dari oporteat, antequam tamen conditio existit vel dies venit, nec cum effectu peti, nec compensari potest l. 7. ff. b. t. Excipitur casus, quo humanitatis gratia tempus solutionis indulgetur l. 16. §. 1. ff. b. aliquando etiam debitum per se quidem purum est, sed per indirectum in diem contratum intelligitur. Si enim quid certo loco promittatur, tunc tacite dics adjectus & tantum temporis debitori concessum censetur, quo dicto loco commode solvere possit §. 5. *Instit. de verb. Obligat.* Hoc tamen, habita ratione quod interest destinato loco solvi, rectè compensatur l. 15. ff. b. t.

I X.

Quinto requiritur, ut debitum non sit *incertum*, hoc est de quo constet, quid, quale, quantumque sit quod debeatur l. 75. ff. de V. O. Quanquam autem in debito sub alternatione E. G. ut si quis decem vel hominem stichum promiserit, utrum voles, res certæ designantur, hactenus tamen utra earum præstanta sit, in incerto est. Sin vero electionem sibi expresse reservaverit aut adversarius ejus ei hanc palam concederit, debitum fit per electionem certum & compensari permittitur l. 22. ff. b. junct. l. 75. §. 8. ff. d. V. O.

X.

Sexto requiritur, ut res sint ejusmodi quæ functionem in suo

suo genere capiunt, l. 4. C. b. & in quibus nulla sit varietas aut inæqualitas æstimationis, unde in pecunia maxime compensatio locum habet. Quemadmodum enim aliud pro alio invito creditori solvi nequit pr. Inst. quibus mod. oblig. toll. l. 22. §. 1. ff. de reb. cred. Ita nec per naturam species cum genere, vel species cum specie compensari potest, l. 51. ff. de legat. 1. cum dispar æstimatio vel affectio rerum sit. Functionem verò recipere est alterius loco & vice fungi, arg. l. 2. de reb. credit. sic quando E. G. in mutuo speciem damus, & idem genus solvimus, non tamen aliud solvere intelligimur, quia genus solutum plane loco speciei in mutuo data fungitur. Sin verò quantitas expresse tanquam species debetur, veluti certi nummi, qui in arca sunt, tunc demonstratio illa nummorum naturam aliquo modo mutat, facitque ut hæc quantitas planè loco speciei fungatur, & ita, quia ipsa nummorum corpora sunt restituenda, jus compensandi cessat l. 47. §. 1. l. 51. de legat. 1. Quod autem Imp. Justinianus in l. ult. C. b. t. compensationi locum facit in actionibus in rem, nec non in aliis ubi de restitutione specierum agitur, minus obstare videtur. Nam quatenus ibi de æstimatione & pretio rerum peremtarum & corruptarum, adeoque de pecunia queritur, compensatio exerceatur, non quando species est restituenda. Et licet Imperator restitutionem depositi prætextu compensationis nullam moram accipere, neque hoc obtentu dominum rerum depositarum exactione defraudari velit; nulla tamen est ratio, quare compensatio esset neganda, ubi tantum de præstatione pecuniaria ex causa depositi agitur. Idem de commodato dicendum puto. In generis obligatione nonnulli volunt compensationem prorsus cessare, non tantum, si genus diversæ qualitatis & substantiæ debeatur V. G. ab una parte equus, ab altera bos, verum etiam et si ejusdem qualitatis & substantiæ genus, veluti hinc inde equus debeatur, quia in hac obligatione certa species sit præstanta, & licet aliquid debeatur in genere, hoc tamen semper veniat certificandum per solutionem certæ speciei sub illo genere contentæ. Sed quando generis debitor æstimationis præstatione liberari, nec ulla in hoc debitum ubi de pecunia tantum agitur, affectio cadere possit, nullam video

3 DISPUTATIO JURIDICA

deo juris rationem , quæ compensationem impedit.

X I.

Antequam jam aggrediar quæstionem quibus & adversus quos compensatio detur? paucis hic tantum monebo, quod illa olim in b. f. judiciis solummodo obtinebat; in stricti vero juris iudiciis neque ipso jure, neque ope exceptionis habebat effectum, donec ex rescripto divi Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur §. 30. *Inst. de action.* Tandem ex constitutione Justiniani latius introducta est, qui in omnibus indistincte iudiciis, compensationem ipso jure fieri voluit §. 30. *Inst. de action.* l. ult. C. b. Unde jure novissimo omnibus contra omnes datur, imo et si quis juraverit se soluturum, is tamen salva religione compensare potest, arg. l. 20. §. 2. ff. *de statilib.* solvit enim, qui compensat l. 4. ff. *qui pot. in pign.* Nec interest an creditor sit privatus, an fiscus, an Respublica, l. 12. ff. b. l. 46. §. 4. *de iur. fisci.* an actione in rem, an in personam, an b. f. an stricti juris quis conveniatur d. §. 30. *Inst. de action.* & l. ult. C. b. t. an ex delicto, an ex quacunque alia causa agatur. l. 10. §. 2. ff. b. t. Excipitur ab hac regula ob allegatas in præcedenti paragrapto rationes, I. Depositum, quod Imperator prima fronte vult restituiri l. ult. C. b. An autem propter impensas in rem depositam factas, res queat aut nequeat retineri? Variant Interpretes. Verior mihi videtur opinio, quod cum cautione de impensis res exigi possit. arg. l. 11. §. 1. C. *deposit.* II. Cum momentanea impediri non possint & spoliatus ante omnia sit restituendus l. 7. C. ad L. *Jul. de vi publ.* l. un. C. *si de moment. pos.* Compensandi iura, possessionem alienam perperam occupantibus, contra eos, qui occupatam juste repetunt, negantur l. ult. C. b. III. Ratione Reipublicæ & fisci excipitur 1. si privatus vestigal debeat, 2. si debitor fisco ex victus vel annona cause sit obligatus, 3. ex causa tributi l. 46. §. 5. ff. *de iure fisci*, 4. ex alimentorum causa, quæ civitas pauperibus suppeditat, quo stipendia & decimas clericorum referunt, 5. si pecunia statutis sumtibus servit, i. e. ad certos usus publicos pertinet, veluti

INAUGURALIS.

veluti ad refectionem viarum , 6. si ex causa fideicommissi debeat, ubi & fisci & testamenti favor concurrit l. 3. C. b. 7. si quis à fisco rem fiscalem erat l. 7. C. b. t. & d. l. 46. §. 1. de jur. fisci & pretium illud cum mutuo, quod sibi fiscus debet, compensare velit , 8. si sint diversæ stationes vel officia fisci , ne ea confundantur l. 1. C. b. t. & 9. denique quoniam nervus Reipublicæ in pecunia consistit, privatus debitor, qui mutuum ab ea sumvit, hoc compensare non potest. Hic vulgo debitor ex Kalendario appellatur. Etsi itaque ex supradictis appareat, raro cum fisco compensationem exerceri, manet tamen regula, quod in debitibus fiscalibus , si fisco vel in poenam vel ex contractu quid debeatur, illa sit admittenda l. 1. l. 3. C. b.

X I I.

Unde his exceptis compensatio quibuscumque debitoribus contra quoscunque creditores, à quibus sibi debetur, est concedenda , nec l. ult. C. commodati , que potius de retentione, quam compensatione loquitur , Justiniani regulam evertere potest. Sic hæredi hæreditarium debitorem convenienti, compensatio recte objicitur ejus , quod is suo nomine debet, nec refert etiamsi hæres inventarium fecerit, quo minus compensatio ejus, quod defunctus debuit , cum eo quod hæredi proprio nomine debetur, opponi possit, sufficientibus tamen bonis ob successiōnem hæredis defuncto factam. Pari modo , pupillis à tutoribus, eorumve nominatoribus compensatio objicitur, l. 11. C. b. t. nec pupilli debitor , quod uni tutori debet , divisa tutela cum petito alterius tutoris, malè compensatur l. 36. ff. b. t. Debenti correis , ob eorum societatem , jus quoque compensandi non denegatur. l. 10. ff. de duob. reis Procuratorum compensandi jura admodum sunt controversa , eorum nimirum qui in rem suam sunt , litis tamen contestatio controversiam dirimit. Post hanc enim, cum talis procurator litis fiat dominus omnino compensabit l. 18. ff. b. quin si debitori denunciaverit, vel ex debito aliquid acceperit procurator in rem suam , etiam si item non fuerit contestatus, compensandi juribus obnoxius erit l. 3. C. de novar.

B

Nec

DISPUTATIO JURIDICA

Nec verba dictæ legis 18. post litem contestatam obstabunt, quo minus respondeam, legem istam principalem solummodo casum voluisse proponere, ubi non tantum actiones utiles, sed & dominium litis simul concurrunt, reliquos tamen excludere non posse. Denunciationi non incongrua est cessionis factæ allegatio, quæ eodem modo ante item contestatam compensationem producit *l. 55. ff. de procurat.* plus enim tali procuratori, quam ex actionis mandatario de quo *d. l. 3. C. de novat. concedendum.* Quæstio, quæ de cessionario proponitur in compensando debito cedentis, nodosa sane videtur, interea tamen æquius esse opinor, cessionarium repellere posse exceptione compensationis ejus, quod cedens debet, sive agat actionem directam, & cedens agere videtur, sive (quam ex constitutionibus principum habet *l. 1. C. de O. & A.*) utili, quo casu cessionarius suo quidem nomine agit, ius tamen aliunde habet. Injustum igitur foret, ut cedens non consideraretur, & plus juris in alium transferret, quam ipse haberet, quod sanè accideret, compensatione à cedente per cessionarium ademta. Adde hinc compensationem (cum fidejussori detur *l. 5. ff. b.*) exceptionem in rem esse, *arg. l. 7. §. 1. ff. de except.* quæ cuilibet agenti opponi potest. De proscriptis & bannitis nihil est, quod dicam, si enim nullus ei debita reddere teneatur; *C. felicis de paenit. in 6.* si omnes eorum obligationes & jura extincta; si nec personam standi in judicio habent, ut excommunicati; *C. intellectimus X. de judic.* quomodo compensare poterunt?

X I I I.

Mutuò delinquentium compensatio, qualis habetur, *l. 39. ff. solut. mair. l. ult. §. 3. ff. de eo per quem factum,* *l. 36. ff. de dolo.* magis retributio quædam est, sive juris, quod ab initio mihi competit deperdita exactio, quam proprie dicta compensatio. Nisi utrinque pecuniarie & civiliter agatur *l. 10. §. 1. ff. k. t.*

X I V.

Modus opponendi Compensationem juris novi plane diversus est à jure veteri, siquidem hodie exclusa judiciorum distinctio, compensatio ipso fit jure in quocunque pecuniariorum judicio, sive bonæ fidei, sive stricto sive arbitrio, sive agatur in rem, sive in personam §. 30. 39. *Inst. de act. l. ult. C. b.* Hic tamen ejus perfectio, ab eo, quod perfectioni accedit, probe est discernenda. Licet enim ipso jure, hoc est solius legis vi, sine hominis adminiculo perficiatur, *l. 4. 10. pr. l. 21. ff. l. 4. 6. C. b.* Nihilominus tamen postulanda est compensatio, ut judex pro compensato haberi jubeat *l. 2. 3. 6. C. b.* Nam, cum judex conjecturā assequi non possit manifesto utrinque deberi, ita non quidem ad inducendam, sed manifestandam compensationem, non ad extinguerendam obligationem, sed ad probandum eam extinctam esse, officio judicis indigemus; *l. penult. ff. b. l. 2. 7. ult. C. eod.* qui tamen hic caute agat, ne reprobando exceptionem, facultatem petendi debitum reo Compensationem ob jiciente adimat. Semel enim reprobatione facta, non solum impeditur compensatio, sed reo quoque perpetuo obstat rei judicatae exceptio *l. 7. ff. b. l. 8. §. si quo ff. de negot. gest. l. 18. §. ult. ff. commod.*

X V.

Ex antecedentibus jam satis colligere est diversos esse compensationis effectus; & ut præcipuus ejus finis est, potius non solvere, quam solutum repetrere; ita etiam efficit, ut à quo tempore alter alteri debere cepit, ab eo quoque tempore alter alteri ipso jure debere definit. §. 30. *Inst. de act. l. 4. ult. C. b.* Qui enim ab obligatione liberatus est, potest videri accepisse *l. 115. d. R. 7.* Hinc sequitur quod si, qui convenit, paratus sit compensare, actor submoveri possit, *l. 2. b.* & compensatio omnem debitoris moram impedit, eumque poena & usuris eximat *l. 11. 12. ff. b. l. 4. & 5. C. eod.* Male hinc nonnulli con-

13 DISPUT. JURID. INAUG.

cludunt emphiteutam jus suum retinere , licet canonem intra præfinitum tempus non solverit , ideo , quod dominus ei quid debere ceperit . Duæ enim cause canonis sunt observandæ , altera pecuniaria solutio , altera dominii recognitio , quarum una exclusa , altera nullius efficaciam erit . Unde si emphiteuta compensare velit , de agnitione dominii simul protestabitur . Protestati Compensationis porro adscribitur pignorum & fidejussionum ipso jure similiter facta liberatio . l. 3. ff. l. 12. C. h. Principali enim obligatione sublata , quomodo subsistet accessoria ? Quod etiam compensationatio solutionis vice fungatur supra jam monui , unde hoc loco observasse sufficiat , actorem contra compensantem sine actione agere , & quod contra compensationem solutum est , id conditione indebiti repeti posse l. 10. §. 1. ff. b. l. 5. §. 2. de impens. in res dot. l. 30. ff. de cond. ind:

X V I.

Affinia compensationis , ut *Imputatio sive reputatio* , de qua l. 34. de negot. ges. l. 40. §. 1. de min. *Retentio* l. 4. b. l. 23. §. 1. l. 26. §. 4. de Cond. *Indeb. Deductio* , de qua in l. 10. §. 9. mandat . *Reconventio* , hic adjungi possent , sed hac vice hic sit mearum Thesum.

V X



(I.)

*Nobilissimum ac Doctissimum Virum-Juvenem,
Candidatum Meritissimum*

Dn. JOANNEM AM-END E,

C V M

Ad capessendos Doctorales honores de *Compensatio-*
nibus disputare vellet, ut Fratrem & Affinem
suum abiturientem raptim hoc Epigrammate
concomitari voluit ex sincero animi
affectu, Bremæ.

IDO BERENDS, V. I. D.

 Ic quibus in causis sit *Compensatio* justa,
Dic quoque cum veniat rejicienda foro.
Ast hoc non dices, quod *Compensatio* quædam
Inter Te, vel me possit habere locum.
Namque Tuis meritis haud digna rependere possum:
Inde Tuus certus Debitor esse volo.

(II.)

 M Ende pflegt's zu sein, wan's Werk
den Meister lob't:
Ein kluger geist acht nicht, ob gleich ein
feind dan tobt.
Drumb Herr Am-Ende blub', weil Er so hat ge-
schrieben,
Das was zum Wercke dien't, nicht unberuhr't ist
blieben.

Glückwunschend gesetzt von

H. I K E N, M. D.

ERGÄNGT 2001

(III.)



Rincipium felix faciles promittit amoenis
Progressus studiis, finis ad usque scopum
Principiumque tamen nihil est progressus & ejus,
Sors nisi felici fine coronet opus.
Finis progressum, finisque exorsa coronat
Prævius it coepitis & comes ipse suis !

Hoc vectare tuum quoque nomen in ore videtur
Respondent rebus nomina sæpe suis.

Primitias meritò laudavit Patria juris
Et quæ te docuit dogmata prima Schola.

Progressus in jure tuos Academia vidit,
Et quævis tellus extera vifa tibi.

Nunc Studium juris tibi metu petita coronat
Imponens capiti laurea ferta tuo.

Diva Themis Palmam Claro concedit Alumno
Promittens studiis præmia digna tuis.

TRAJECTINA tuo mirans applaudit honori,
DOCTORIS titulo Teque salutat ovans !

Sic virtutis opus compensat munere dingo
Virtus, & noctes Pallas honore tuas !

Hinc compensandi jus & dignissima vifa
Materies calamo est apte agitanda tuo :

De compensando nam multi multa loquuntur,
Plurima promittunt munera, dantque nihil.

At tu compensas momento temporis ipso
Contulit in te quod cura Paterna prius.

De compensando dum tractas dogmata juris,
Compensas Patriæ munera larga tuæ.

Et tibi muneribus compensant Numina dignis
In jus collatum grande laboris opus;

Et majora parant tibi Patria, Sponfaque dona,
Ibit in amplexus quæ, Neonympha, tuos.

Sic compensetur labor ut bene juris & æqui,
Et par sit meritis fors studiosa tuis,

Hac, Nobilissimo atque integerrimo Amico,

gratulabundus apposuit

HENRICUS EDZARDS.

(IV.)



Temmata *TE* decorant, decorat *TE* Virtus Avita
Sub *FINE M* Laurum præbet Amica Themis,
Alma Venus curret Facilis *TIBI*, serta parando
Officium peragit Diva Minerva suum.

Sic, sic *C O M P E N S A N T* Studium Pia Numina,
B R E M Æ.

Profit Honos, Voveo, profit *A M I C E T I B I*.

Hæc in

H. & S. A. T.

Apposuit

FRANS ALBRECHT SCHÖNE

Bremanus L. L. R. S.

(V.)

Ad Præstantissimum Virum - Juvenem

D. JOANNEM AM-ENDE,

*Pro summis in utroque Jure adipiscendis honoribus,
Subtilissimas Theses de COMPENSATIONIBUS
Særense defendemem Gratulatio.*



Orgonei Pindi Pater & Moderator Apollo,
Pieridesque venite omnes Helicone relicto,
Dumque Aganippiadum celeberrima cura fororum
Sacra facit Themidi, vos plaudite Calce Camœnæ.
Hunc laquei nequeunt mille irretire, nec ulla
Captio docta licet quâcunque induita figurâ :
Nam solito sibi more facit, Legumque recessus
Ambiguumque chaos dissolvit acumine mentis.
Auguriis votisque sequor : dum Gloria pigrâ
Ut mereris, te tollit humo, Vir Amice, tibique
Ardet fronde caput dum cingere Fama perenni.

Sic

Sic Diis Auspicibus meritos ordiris honores.
Atria jam Themidis tibi Amice reclusa patescunt
Et spectare licet quæ præmia debita tandem
Suscipias, capitique tuo quam Gloria palmarum
Nectat, & ad quantas jam te Dea tollat honores
Illa puerperio capitis prognata paterni
Sacra Minerva, ejus nam tu es non gloria parva.
Cura tibi à teneris studio superare sodales
Primorumque exempla sequi; consistere nescit
Ignea vis animi. Postquam hunc Astræa vigorem
Spectavit genii, sacra ad tentoria Juris
Te rapiens, tanto lætata satellite multum.
Jamque Astræa venit Mystis glomerata Senatuque
Ædis Juridicæ: tibique ampla stipendia promit,
Inque Sacerdotem dignum quem novit adoptat.
Sic titulis tua jam ditantur nomina summis,
Quasque labor peperit compensat Gloria Juris
Curas; vastaque doctrinæ per flumina vectus
Lætitiae ecce tenes portum, metamque laborum.
Acclamate igitur sociatis plausibus omnes:
Per Patriam nunc sparge tuum decus, I pede fausto,
I, floresce, vige, & tecum tua præmia crescant,
Famaque quadrigis te tollat ad æthera dignum!
Da veniam, Vir Amice, tuæ si buccina Laudis
Non sumus apta: Inter quamvis ferar anser olores,
Non totus concedo tamen: natet inter olores
Qui tibi, conatusque tuo calamo meliore
Accinat, affectu nemo potiore loquetur.

Nobilissimo Dno. Candidato, Amico
estimatissimo de meritis honoribus
gratulaturus posuit

J. H.

